

Resp. ad 2^{um} *Controvertitur. Probabiliter unicum tantum facit peccatum; quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans: ius enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Proinde probabiliter nulla est obligatio explicandi in confessione numerum personarum, coram quibus aliquis detraxerit, sed sufficit dicere: Detraxi coram pluribus. — S. Lig. (ut probabile) n. 49. (9). — Lugo, Azor, etc. contra Lacroix et alios.*

QUAER. 3^o *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

Resp. 1^o *Affirm. per se, si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversae, v. gr. infamiam et mortem; quia desiderium speciem sumit ab objecto desiderato, ut infra dicitur n. 167. — S. Lig. n. 30. et clarius, Hom. apost. n. 63. et alii communiter contra aliquos.*

Resp. 2^o *Neg. per accidens, quia scilicet haec mala diversa fere apprehenduntur sub generali mali ratione, ut media ad perniciem; quod fieri solet quando imprecationes ex impetu irae procedunt. — S. Lig. ibid.*

166. — *QUAER.* 4^o *An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem?*

Resp. Neg., si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi, quia mala voluntas per modum continui cum re iniuste retenta perseverat. Attamen si iniustus possessor per notabile tempus restitutionis faciendae fuerit oblitus, et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum committet, quia mala eius voluntas moraliter interrupta censetur. — S. Lig. n. 40. et alii communiter contra alios, qui dicunt, iniustum rei alienae possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit (10). — V. Casus, n. 150. et seq.

(9) Ita S. Alph. (lib. 5. n. 49.): *Probabile est, non esse obligationem explicandi numerum personarum, coram quibus facta est detractio.*

(10) Cum teneri tuto possit S. Alphonsi doctrina (lib. 5. n. 40.) nempe, quod si quis statuit non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper, adhuc per annum, maneat, unum peccatum committit; quam doctrinam ipse (lib. 3. n. 683.) probabiliorē censet; consequitur, nihil opus esse in confessione exprimere, brevine, an diuturno tempore retenta res aliena fuerit. Et sane id non opus est ratione diuturni temporis, quia diuturnitas est circumstantia mere aggravans; quam in rem apposite Diana (tom. 1.

tr. 7. res. 157.): *Circumstantiae aggravantes non sunt necessario confitendae; sed dicta diuturnitas est tantum circumstantia aggravans. Ergo. Sed neque ratione multiplicis peccati. Unde Diana (l. c. n. 4.): Notet hoc Confessarius, et a multis scrupulis immunis erit: nam poenitens in confessione satisfacit tantum se accusando, non restituisse rem alienam: nec interrogandus est de tempore et de diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quae aliqui in tali diuturnitate committi putant; dummodo non proposuerit restituere, et postea mutato animo determinaverit, amplius restitutionem non facere.*

PARS SECUNDA
DE PECCATIS IN SPECIE

Agendum 1^o de peccatis internis; 2^o de peccatis capitalibus.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS

167. — *Triples eorum classis distinguitur, scilicet.*

1^o *Delectatio morosa, seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut praesente, sine desiderio.*

2^o *Gaudium, seu deliberata complacentia rei malae praeteritae, seu operis mali peracti sive a se, sive ab alio (1).*

3^o *Desiderium, seu actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur efficax, si adsit intentio seu absolutum propositum id exequendi; secus inefficax vocatur (2). — S. Lig. n. 13.*

Quaenam autem sit horum malitia, et quaenam species, his paucis teneto:

I. *Desiderium etiam inefficax est vere peccatum, et induit speciem tum obiecti tum circumstantiarum.*

Ac 1^o est *vere peccatum*. Constat enim ex praecepto, *Non concupisces* quod generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cuiuslibet pravi affectus. Insuper omne rei prohibita desiderium rectae rationi repugnat: turpe enim et inhonestum est desiderare, nempe sibi id exequendum aut absolute aut conditionate proponere, quod exequi non licet.

(1) Complacentia hic non dicit voluptatem aut delectationem haustam ex obiecti mali consideratione, sed potius quandam approbationem, qua voluntas perpetratum malum gratum et acceptum habet: quae quidem approbatio dici potest gaudium eo sensu, quod quis de malefacto non modo non dolet, uti oporteret, quinimo potius gaudet.

Caeterum gaudium proprie dicitur etiam de bono praesenti; imo definiri solet *boni possessi et amati fruitio* (Suarez, In 1. 2. Tr. 2. Disp. 7. Sect. 1. n. 3.-5.). Qua de re ita S. Thomas (1. 2. q. 31. art. 3. o): *Gaudium est quaedam species delectationis... Delectamur enim et in his, quae concupiscimus, ea adipiscentes... Sed*

nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione, quae consequitur rationem; unde gaudium non tribuimus brutis animalibus, sed solum nomen delectationis.

(2) Efficacia aliqua etiam in desideriis inefficacibus adsit oportet; secus ne nomen quidem desiderii haec mererentur. Adest scilicet voluntas conditionate efficax, quae ad opus transiret, nisi quid aliud obsisteret. Hinc bene S. Alphonsus (Lib. 5. n. 15.): *Inefficax dicitur desiderium, si non proponit (absolute) exequi, sed consentit, quod exequeretur, si posset, cum, v. gr. dicit: Si possem furari thesaurum Ecclesiae, furarer.*

2^o *Induit speciem obiecti sui.* Quodlibet enim desiderium, etiam inefficax, in obiectum suum tendit, et proinde est volitio *malitiae specialis* istius obiecti, adeoque eius specificam malitiam contrahit (3). Constat etiam ex verbis Christi, Matth. 5. 28.: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Moechari autem in Scriptura ubique pro adulterio intelligitur. Ergo...

3^o *Induit etiam species circumstantiarum obiecti.* Nam desiderium cum tendat in obiectum, illud attingit uti est in se cum suis circumstantiis. Ergo totam malitiam etiam circumstantiarum contrahit. Hinc in confessione, v. gr. desiderii fornicandi, declarandae sunt circumstantiae consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis, aut voti castitatis, quae personam desideratam afficiant. — S. Lig. n. 12.

168. — II. *Gaudium* itidem est peccatum et quidem eiusdem speciei ac actio mala, circa quam versatur, induitque pariter species circumstantiarum ipsi adnexarum, non secus ac ipsum desiderium. Ratio, quia *gaudium*, ut supra diximus, est mali praeteriti approbatio; haec igitur actum peccaminosum amplectitur, qualis in se extitit, suis nempe circumstantiis vestitum. Ergo etiam harum totam malitiam induit.

Hinc qui in peccatorum praeteritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet obiectum huius complacentiae, atque circumstantias speciem mutantem, perinde ac si denuo opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est iactantia de peccato commisso, displicentia de malo non patrato, necnon tristitia de bono peracto (4).

169. — III. *Delectatio morosa* 1^o est certum peccatum; 2^o certo etiam variat gravitatem et speciem pro varietate obiectorum menti exhibitorum.

Ratio primi est, quia naturae rationali et legi divinae repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectae rationi dissentaneum est, et Deo displicet. Insuper delectatio deliberata de obiecto malo affectum in illud arguit: atqui affectus in obiectum malum est affectus malus, ut

(3) Actus internus, de quo heic agitur, respicit actum externum, uti executioni (vel absolute vel saltem hypothetice) mandandum; necessario igitur fertur in illum secundum omnes conditiones et circumstantias, quae illum afficiunt, sive ad ipsum necessario praerequirantur, sive illum inseparabiliter comitentur, sive ex illo sponte sua consequantur.

(4) Hoc intellige de opere praesertim, quod stricta obligatione praestandum fue-

rat; et sic tristitia tale peccatum erit, quale fuisset nolle obligationem implere. Si vero sermo sit de bono actu, ad quem quis non tenebatur, eiusmodi boni sine iusta causa poenitere non carebit sane culpa aliqua veniali; quippe contra rationem id est, cum proprium poenitentiae obiectum sit res mala; nulla autem culpa erit, si causa adsit poenitentiam coonestans. Confer quae habet Sanchez de eo, quem voti emissi poeniteat (*In Decal.* Lib. 4. Cap. 12. n. 2.).

patet (5). Ergo... Hinc Osee 9. 10: *Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt.* Et Prov. 15. 26: *Abominatio Domini cogitationes malae.* Ergo...

Ratio secundi est, quia quisquis delectatur de obiecto in se malo, illud approbat, eique affectu suo adhaeret. Ergo quo gradu ac specie obiectum sit malum, eodem plane erit mala eiusdem delectatio. Ergo... — S. Thom. 1. 2. qu. 74. art. 8. — S. Lig. n. 15.

170. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *An delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum, ut desiderium et gaudium?*

Resp. Controvertitur. *Neg. probabiliter.* Ratio est, quia simplex delectatio non tendit in obiectum ut ponendum, sed in eo quiescit ut repraesentato per intellectum. Porro intellectus abstrahit ab aliis obiecti proprietatibus praeter illam quae delectationem movet (6). Lugo, Laymann,

(5) Reatus morosae delectationis facile apparet, cum reipsa nihil aliud sit, quam consensus in delectationem mali operis. Ita S. Thomas, ubi egregie distinguit delectationem de cogitatione mali operis, quae huc non spectat, et delectationem de malo opere cogitato (1. 2. q. 74. art. 8.): *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari. Uno modo de ipsa cogitatione: alio modo de ipsa fornicatione cogitata... Cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea praedicare vel disputare. Et ideo per consequens affectio et delectatio, quae sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum. Unde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale... Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de actu ipso cogitato, hoc contingit ex hoc quod affectio eius inclinata est in hunc actum. Unde quod aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam quod ipse consentiat in hoc, quod af-*

fectus suus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur nisi de eo, quod est conforme appetitui eius. Quod autem aliquis eligat, quod affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.

Brevius Laymann (Lib. 1. Tr. 3. Cap. 6. n. 2.): *Aliud est delectari de re cogitata, v. gr. fornicatione, ita ut formalis ratio delectandi ex ipsa re sit, cogitatio vero sit tantum conditio proponens et applicans rem cogitatum: aliud vero est delectari de cogitatione, v. gr. fornicationis, ita ut formalis ratio delectandi sit ex ipsa cogitatione... Nos hic loquimur de delectatione, quae CAPITUR EX RE IPSA. Cum enim cogitatio rei malae per se mala non sit, sed interdum bona, velut si de rebus turpibus cogites docendi vel monendi causa, interdum autem venialiter mala, ut si ex curiositate de eisdem cogites; sequitur, delectationem quoque de eiusmodi cogitatione tamquam obiecto, per se malam non esse, sed interdum bonam, interdum venialiter malam.*

(6) Non infitiat ista opinio, specificam malitiam etiam ex circumstantiis desumi,

Reuter, Bonacina, etc. contra alios, qui contendunt simplicem delectationem omnes obiecti species induere, sicut ipsum desiderium. Utramque sententiam probabilem dicit S. Lig. lib. 5. n. 15. (7).

171. — QUAER. 2^o *An liceat desiderare malum sub conditione, si licitum sit?*

Resp. Dist. Affirm. per se, si conditio apposita totam rei malitiam tollat; ratio, quia talis affectus nullam involvit deordinationem neque in se neque in obiecto, a quo per conditionem malitia omnino excluditur. *Neg.* vero in alia hypothese; ratio, quia talis affectus tendit in obiectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab obiecto etiam ut repraesentato, et proinde tota malitia obiecti in actum voluntatis refundatur. Et quidem sunt quaedam obiecta, circa quae conditio utcumque apposita malitiam tollere nequit. Etenim quae intrinsece mala sunt, mutari nequeunt, et proinde inutiliter conditio apponeretur, siquidem talia optare, per se foret desiderare ut lex et ordo naturae immutetur. — S. Lig. n. 27.; *Hom. apost.* n. 50.

Attamen *probabiliter* a peccato gravi excusandus ille est, qui tali desiderio nollet certe, ut id quod malum esset intrinsece fieret licitum sed tantum propensionem suam in illud obiectum ostenderet. — S. Lig.

si istae quoque sint delectationis obiectum; verum *si delectatio* (ut ait Sanchez in *Decal.* Lib. 1. cap. 2. n. 11., quem proinde non secus ac plures alios ibi a Sanchezio relatos, perperam Salmanticenses pro opposita sententia allegant *Tract.* 20. Cap. 13. n. 31.) *non feratur in obiectum secundum totam suam malitiam apprehensum, sed secundum partem, uti in feminam apprehensam quidem ut non suam, non tamen ut est alii nupta, vel monialis; non habeat integram operis externi malitiam, sed solum apprehensam, et ea sola fatenda erit, et reducetur ad simplicis fornicationis speciem.*

Quae sane hypothesis in rei natura fundatur. Contingit enim, ut voluntas in id feratur, quod utique est delectabile, cuius tamen circumstantiae, nedum alliciant, appetitum potius retundant, v. gr. quod mulier sit iam alteri nupta, quod monialis sit, vel consanguinea, etc., quod innuunt et Salmanticenses (*Tract.* 20. Cap. 13. n. 30.),

ubi bene advertunt, superius dicta valere quidem de circumstantiis obiecti, non autem de circumstantiis personae peccantis, v. gr. si coniugatus sit aut voto castitatis obstrictus, licet ad delectationem hae circumstantiae nihil conferant.

(7) S. Alphonsus licet A. sententiam dicat *valde probabilem*, subdit tamen (ibid.), sibi *valde placere*, quod ait Holzmänn (*de Praec. Decal.* Tr. 2. n. 698.), explicandam esse v. gr. circumstantiam adulterii ratione proximi periculi concupiscendi saltem ineffaciter etc.

Resp. Opinio Holzmänni locum habere poterit, quando qui morose de malo obiecto delectatur, simul cognoverit, obligationem se tunc violare praecavendi grave ac proximum periculum labendi in pravum eiusdem obiecti desiderium. Secus vero in alia hypothese. Ratio patet ex primis ethicae principiis; neque enim ullum unquam peccatum committitur, si notio aliqua obligationis non praeleat.

Hom. apost. ibid., cum aliis. Caeterum nemo non videt, quam periculosa sint huiusmodi desideria etiamsi apposita conditio totam malitiam auferret, praesertim in prohibitis iure naturali, licitis tamen in aliquo casu vel statu, v. gr. occiderem inimicum, si Deus mandaret; uxorem acciperem, si non essem sacerdos aut voto ligatus; libens nuberem Caiiae, nisi haberem uxorem; quae desideria Caietanus (*V. Cogitationis peccata*) merito appellat tentationes fatuas et diabolicas; quippe quamvis licitum sit eiusmodi desiderium, illicita tamen est praesens de illo obiecto delectatio, quae in re venerea facile cum desiderio coniuncta reperietur. Imo dissuadenda sunt etiam alia desideria conditionata circa res solo iure positivo prohibitas, quia ut plurimum otiosa sunt, et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt (8).

172. — QUAER. 3^o *An liceat delectari de omissione inculpabili alicuius praecepti ex oblivione relictis?*

Resp. Neg., si gaudium referatur ad omissionem prout est obiective mala. *Affirm.* vero, si tantum ad voluptatem vel commodum secundum se honestum referatur. — Suarez, *de Pecc.* D. 5. sect. 7. n. 15. — Lugo, *de Poenit.* D. 16. n. 389., etc. contra alios, qui absque distinctione negant (9).

(8) Aliquando nec otiosa nec inordinata eiusmodi desideria esse possunt, si nimirum sint de obiecto bono, v. gr. si idonea apposita conditione coniugatus desideria foveret de sacris ministeriis obeundis, et communione calicis fruenda, vel Religiosus, paupertatis voto obstrictus, de elargiendis eleemosynis, extruendis nosocomiis ornandis templis, etc., aut clericus de inimicis Ecclesiae iusto praelio perdendis, etc.

(9) Suarez et Lugo, ab A. hic allegati, tum etiam alii communiter hoc tradunt non solum de omissione operis praecepti, sed generatim de quovis actu secundum se malo, quem tamen quis sine culpa, ex inadvertentia scilicet, vel ignorantia, aut in amentia, somno, ebrietate praestiterit, nempe *licitum non esse gaudere de actu praeterito secundum se et propter eius voluptatem; licitum tamen esse gaudere de bono effectu inde sequuto, atque adeo de illo actu tantum ut causa fuit talis effectus*, ut ait Suarez.

Ubi sedulo advertite illa verba: *Secun-*

dum se et propter eius voluptatem: his enim ratio excluditur, ob quam S. Alphonsus (Lib. 5. n. 20.) cum Sanchez et aliis nonnullis ab hac doctrina discedere videtur. Scite enim advertit Sanchez (*in Decal.* Lib. 1. Cap. 2. n. 16.), praedictas causas (quae ad defectum liberi consensus reducuntur) excusare quidem opus exterius a culpa, non item licitam efficere delectationem operi malo insitam, quae dein libere capiatur. Atque hinc solutio quaestionis, an liceat gaudere de pollutione in somnis, vel etiam eam desiderare. Ut enim docet S. Thomas (*in 4. Dist.* 9. Q. 1. art. 4. q. 1. ad 5.) peccatum erit, *si pollutio propter delectationem placeat*; secus vero, *si placeat ut naturae exoneratio vel alleviatio*. Qua de re vide eundem S. Thomam (2. 2. q. 154. art. 5.), ubi (contra ac habeat S. Alph. 1. c.) ad naturalem pollutionis causam revocat turpe somnium, ad quod reduci possunt et tactus seu motus idem somnium consequentes. *Cum enim* (inquit) *humor seminalis*

173. **Resolves.** — 1^o Si poenitens se accuset de aliqua prava cogitatione, interrogandus est, an cognoverit esse peccatum; et si respondeat se eam delectatum fuisse statim ac cognovit turpem esse, iudi-

abundat in corpore, vel cum facta est humoris resolutio... somniat dormiens ea, quae pertinent ad expulsionem huiusmodi humoris abundantis aut resoluti; sicut etiam contingit, quando natura gravatur ex aliqua alia superfluitate; ita quod quandoque formantur in imaginatione phantasmata pertinentia ad emissionem talium superfluitatum.

Duplex ergo est distinguenda hypothesis, altera in qua loquuntur illi, qui cum Suarezio affirmant gaudium licere, altera, in qua alii cum Sanchez negant. Sic sane arguit Sanchez (l. c.); *Quoties causa excusans a culpa mortali factum exterius, nempe defectus consensus, non concurrat in ipsa delectatione; licet factum a culpa liberum sit, non tamen erit libera (a peccato) delectatio... Ratio est, quia id factum erat de se mortale, solaque ignorantia aut rationis defectu liberum a culpa. Cum ergo delectatio illa simili excusante causa vacet, ac prorsus voluntaria sit, et circa obiectum de se mortale, mortalis erit.*

Dignum auctoribus suis facinus fuit, ut Salmanticenses (Tr. 20. C. 13. n. 48.) quaestionem utcumque instituerent iuxta hypothesis Suarezii, Lessii etc., et dein more ipsis saepe consueto opponerent (ibid. n. 49.) illis Sanchezium, Azorium etc., qui quaestionem iuxta aliam hypothesis agitant. Magna S. Alphonsi erga Salmanticenses fiducia effecit, ut heic (sicut at alibi saepius) ista ab illis transcriberet, et in super adderet Collet, Roncaglia, atque etiam Croix, qui postremus alioquin cum utramque instituat hypothesis, proinde, prouti res postulabat, in altera quidem (Lib. 5. n. 89.) consentit Sanchezio etc.,

in altera vero (ibid. n. 91.) Suarezio. Eo autem minus excusatione Salmanticenses dignos dixeris, quod cum apud Suarezium, Vasquezium, Lessium etc. utramque hypothesis clarissime propositam, et pro diversis causae meritis apte solutam cernere possent, illis auctores opposuerunt, qui de altera hypothesis ne verbum quidem iniiciebant.

Circa quaestionem generalem in textu propositam iuverit indicasse, plures DD. distinguere inter prohibita iure naturae, ac prohibita iure tantum humano; et delectationem affirmare illicitam circa primum genus, non item quoad alterum, modo non fiat sub ratione prohibitionis. Ita Sanchez (Lib. 1. Cap. 2. n. 10.), Azor (P. 1. Lib. 4. Cap. 6. Q. 1.), aliique, quos sequitur S. Alphonsus (Lib. 5. n. 27.) inquit, *ita tenendum... quidquid dicat Croix (Lib. 1. n. 81.).* Mox tamen S. Doctor (l. c.) subdit: *Non licet tamen delectari de Missa ob oblivionem relicta, et simili; quia omissio est obiective mala, ut Roncaglia (Tr. 2. C. 3. q. 5.) cum Azor et Sanchez.*

Et reipsa sic scripsit Roncaglia, distinguens cum Salmanticensibus (quos tacito eorum nomine transcribit) utrum impedimentum implendi praeceptum extrahat ab obligatione praecepti, an tantum excuset. Hinc deducit, licere iuveni delectari de omissione ieiunii, ad quod nondum tenetur, et infirmis delectari de omissione Sacri; secus vero si id contingat ex oblivione, quia omissio tunc remanet obiective mala; tum Azorium et Sanchez allegat. Atqui Sanchez ipso loco a Roncaglia citato (Lib. 1. C. 2. n. 16.) oppositum docet et a regula generali istam addit exceptionem: *Intellige, nisi circa res solo iure humano prohibitas... sit delectatio de actu*

candus est omnino a peccato immunis. — Si respondeat, se habuisse per aliquod tempus aliquam confusam cognitionem malitiae, eique adhaesisse, sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem, tunc facile quidem a gravi peccato excusandus est, sed non a veniali. Quod si nesciat se expedire ab his interrogationibus, ordinariè praesumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse in eo plenum consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratae sit conscientiae. — Saettler.

2^o Quamvis aliud sit delectari de re mala aliud vero delectari de modo v. gr. industriquo res mala peracta fuerit (quod sane carere culpa per se potest); attamen Confessarius facile suspicari debet de morosa delectatione in iis, qui libenter audiunt turpia, licet haec narrari non videantur nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum; et profecto si sermo de actionibus honestis, utut ingeniosius peractis, haberetur, plerumque multo minorem delectationem perciperent. Idem dicito de iis, qui avidè libros minus honestos lectitant (10).

3^o Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter praecepta, quatenus est molesta tantum, seu *in sensu diviso* legis, v. gr. de molestia ieiunii. — S. Lig.

4^o Non licet delectari de re ipsa mala in se spectata, quia obiectum

materiali, et quoad eius substantiam, praecisa prohibitione; quo casu diximus n. 10. non esse mortale delectari, etiam quando fractio praecepti est mortalis, nedum quando ob ignorantiam peccato liberatur. — Azor vero (Q. 1. Lib. 4. C. 6. Q. 1.): *Si is, qui delectatur cogitans de esu carniū absolute et per se, non autem ut est certis temporibus interdictus, non peccat, ideo est, quia delectationem non capit ex re mala, quatenus mala; nam esus carniū per se malus non est.* Quam doctrinam Tamburini (Dec. 1. 3. C. 5. §. 1. n. 2.) applicat omissioni Breviarii, cum delectationis obiectum possit esse earentia laboris et vigiliae; et idem dicito de omissione Sacri, quando quis mere de vitata molestia itineris, pluviae etc. delectari potest. Cohaerentiae defectus in hac quaestione Salmanticensibus, quos et Roncaglia exseripsit, debetur; quippe qui (Tract. 20. C. 13. n. 37.) dicunt, *in prohibitis iure*

positivo posse praescindi substantiam operis ab eius prohibitione; et deinde hoc ipsum obliviscuntur.

(10) In his potissime attendendum, an alias poenitens in pravam delectationem consentire consuescat. Alioquin enim quod quis propensius et avidius versetur in lectione vel auditione turpis argumenti, id non deliberatae ex turpibus delectationis indicium est, sed humanae infirmitatis; et licet reiiciatur delectatio, qua appetitus inferior sollicitatur, hoc non impedit, quominus infirma natura ad eiusmodi magis, quam ad alias materias versandas inclinetur; praesertim quod subinde accedit et quaedam curiositas, quae ad nova et insolita acui eo magis solet, quo minus homo sine iusta causa id operis suscipere auderet. Hinc sedanda anxietas, qua quidam interdum vexantur, quod in his potius quam aliis materiis pertractandis, aut in mulierum potius quam virorum audiendis confessionibus libenter versari sibi videantur.

delectationis est semper malum. Licet tamen delectari de bono effectu, qui inde provenit, dummodo ordo charitatis non violetur (11). Hinc damnata est sequens propositio sub n. 15, ab Innoc. IX: *Licilum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

5^o Cautè Confessarius agere cum iis debet, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim huiusmodi delectationes non ex emolumento solo,

(11) Salmanticenses (Tract. 20. Cap. 13. n. 47.), quos sequutus est S. Alphonsus (Lib. 5. n. 20.), dissensionem hic inter doctores confingunt, et Vasquesium, Lessium, Palaum, etc. incusant, quasi licere doceant, ob effectum bonum *de peccato formaliter tali* delectari, ac proinde licite *affectum ob bonum finem in rem intrinsece malam terminari*. Sed perperam haec confinguntur, cum nulla in iis dissensio nisi forte verbo tenus, habeatur. Lessius, cui et alii consonant, audiatur *De Iust. et Iur. Lib. 4. Cap. 3. n. 105.*: *Cum quis dicitur gaudere de opere malo, quatenus illud est causa boni, dupliciter potest intelligi. Primo quod ob bonum effectum gaudeat, illud opus esse vel fuisse, vel a se factum esse; et hoc omnino est illicitum, si illud opus erat intrinsece peccatum: quia hoc est approbare peccatum, et illius habere complacentiam propter bonum finem.... Sicut enim effectus ille vel respectus ad illum effectum non potest efficere, ut illud opus, quod est intrinsece peccatum, sit licitum aut bonum, ita neque ut sit dignum gaudio et complacentia.... Secundo potest intelligi, quod gaudeat, illud opus primum talem effectum bonum habuisse, vel habere; et sic licet gaudere de opere malo. Non enim gaudemus illud opus malum esse; sed supposito quod factum sit, gaudemus quod boni effectus causam dederit. Vere enim gaudio dignum est, quod divina bonitate etiam ex pessimis operibus maxima bona*

proveniant. Sed hoc est potius gaudere de effectu, quam de opere, etsi etiam gaudeamus de causatione boni, quae operi competit.

Liquet, dissensionem inter DD. nullam esse, nisi verbo tenus. Constat ex allatis Lessii verbis et etiam ex eo, quod nemo Doctorum, quos contra opponunt Salmanticenses et S. Alphonsus, quidpiam habeat contra thesim sic propositam.

Neque a communi sententia discedit Vasquez. *Vasquez et Sayrus* (inquit Sanchez Lib. 1. Cap. 2. n. 9.) *dicunt, quamvis in universum voluntas efficacis (quam desiderium vocant) cuiuscumque rei mortalis sit mortalis, at non omnem delectationem de quovis opere, iure etiam naturali sub mortali prohibito, esse mortalem, dummodo non sit de opere qua ratione peccatum est, aut contra praeceptum.* Indicat deinde singularem eorum doctrinam, quam a Vasquezio latissime et eruditissime probari dicit, et concludit: *Atque ita quamvis fateatur (Vasquez) delectationem morosam rei mortalis esse mortalem, recedit tamen a fundamentis, quibus communissima sententia id probat.* Quae probant, Vasquezium quoad substantiam a communi doctrina non recessisse. Id ipsum testatur et Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 363.*) inquit: *Hanc (Vasquezii) sententiam amplectuntur alii non pauci, Reginaldus, Sayrus, et alii, quos refert et sequitur Diana..., et probabilem dicunt Azor, Salas, Fillicius, Bonacina, et Lessius apud*

sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur (12). Idem timendum est de eo qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex eius infortunio, v. gr. ex gravi infirmitate, iactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, praesertim si inimicitiam cum eo antea gerebat. Confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem poenitentis prudenter introspicere non negligat. — S. Lig. n. 20. — V. Casus, n. 150. et seq.

CAPUT II.

DE PECCATIS CAPITALIBUS

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita, seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius, quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum 1^o Superbia; — 2^o Avaritia; — 3^o Luxuria; — 4^o Invidia; — 5^o Ira; — 6^o Acedia; — 7^o Gula; — Pauca de singulis (1).

I. De Superbia.

174. — *Superbia* est amor inordinatus propriae excellentiae.

Distinguitur *superbia perfecta*, seu in suo genere completa et consummata, et *superbia imperfecta*. — Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis Superioris obtemperandi.

eundem Diana, et eandem sequitur Castrus Palao. Et subdit quidem (n. 364.): *Haec sententia difficilis est fortasse magis in modo explicandi, quam in re ipsa: quod ipse prosequitur usque ad n. 370.*

(12) Confessarii vigilantia opportuna est propter duo, nimirum 1^o ne boni effectus desiderium vel gaudium (nam quae de gaudio hic dicuntur, ex communi DD. sententia fere de desiderio valent, aut etiam de delectatione) transeat in gaudium aut desiderium aut approbationem *peccati in se spectati*, e quo causatur ille effectus; praesertim si quis e peccato suo lucrum magni momenti retulerit; in quo casu gaudium et delectatio de acquisita ingenti fe-

licitate aegre sane abstrahetur a delectatione in mala causa. 2^o Ne unquam (nempe etiamsi quaevis culpa cuiusvis absit, aut saltem absit delectatio de culpa) ordo violetur charitatis, quae sane postulat, ut bonum, quod intendimus, rationabiliter sit praefendum bono, quo alium privari aut optamus, aut gaudemus. Hinc damnatio propositionis, n. praec. memoratae; neque enim ordo charitatis permittit, ut spem hereditatis filius morti patris praeferat. Sed de his melius, ubi de charitate.

(1) Accurata huius materiae notio a theologis potius et praesertim a S. Thoma petenda et, quam a libellis asceticis, qui non raro eiusmodi res minus exacte pertractant.